



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

LII. Tractatur quæstio appendix, an gratia præventens, auxilium sufficiens,
& efficax, possine esse æqualia in duobus hominibus, quorum vnus
eonsentit vocationis, & non alter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

Hieron.
Perez.

Si, vel de vocatione congrua, & efficaci, vel de operatione, qua Deus nobiscum cooperatur: aperte enim declarat esse priorem natura ratione independentia, quia Deus, à nulla causa penderet, sed alia ab ipso. Addit Hieronymum Perez sui ordinis virum doctissimum in Commentar. ad 1. part. D. Thomæ quest. 19. art. 2. & quest. 22. art. 1. 2. & 3. Sed hunc Auctorem videre non potui, neq; ego scio, an scripta eius typis mandata sint. Quæ tamen ipse refert, valde generalia sunt, vt quod Deo attribuit efficaciam gratiæ, quia non solum attingit rem, sed etiam modum fiendi, & quod prædestinat actus liberos, & similia, de quibus nunc non est controuersia, vt sæpe dixi.

47.
Medina.
Cordub.

Tertio refert Medinam Complutensem, de quo nihil aliud affert, præter id quod refert Corduba loco supra citato, de cuius sententia iam satis dictum est, nec Medina aliud refert, nisi quod Deus concurrat cum causis secundis per suam voluntatem, quod nemo negat; de modo autem voluntatis, & concursus est controuersia. Allegat præterea Franciscum à Christo in 1. d. 39. & d. 40. & 41. sed in priori loco solum agit de concordia diuinæ prouidentia cum libero arbitrio, & refert varias sententias, nihilque satis definit: neutram autem ex his, de quibus nunc tractamus, in particulari attingit, sed vel in generali contentus est illa responsione communi, quod efficacia diuinæ voluntatis tanta est, vt effectus, &

Franc. à
Christo.

Cosm. Phil.
liensis.

modos eorum prouideat, vel descendendo ad modum particularem magis inclinat in quandam Gregorij sententiam nostræ valde afinem. In posteriori autem loco tractat de causa prædestinationis, nihil verò de nostra causa attingit. Denique allegat Cosmæ Philiensis in quæst. de causa prædestinatæ & reprobatae ad Gregor. XIII. à c. 11. vsque ad 15. & 13. de dogmatib. fidei c. 24. vbi docet, Deum determinare voluntatem per auxilium gratiæ, & prius natura. Ille verò auctor licet de prima conuersione id late doceat, præsertim in c. 11. de Prædestinat. nihilominus expressè dicit in actibus moralibus voluntatis, imò etiam in multis operibus gratiæ postquam homo est in gratia, ipsum hominem se determinare, & rationem determinationis immediatè à voluntate sumi, imò dicit in his actibus voluntatè cum se determinat esse priorem natura concursu Dei, solum ergo excipit primam gratiæ acceptionem. In quo certè non consequenter loquutus est, nec pro aliqua sententia earum, quas tractamus, allegari potest. Magis tamen fauet nostræ, quia docet prædeterminationem physicam non esse necessariam ad omnes actus, modum autem speciale, quo Deus determinat voluntatem ad primam gratiæ acceptionem, non declarat. Quapropter, si quis velit, quæ attulimus, attentè ponderare, vel auctores ipsos euoluere, faciliè intelliget, nostram sententiam fuisse communem Theologorum consensum, priusquam à paucis modernis in dubium vocaretur.

CAPVT LII.

Tractatur questio appendix, an gratia præueniens auxilium sufficiens, & efficax possint esse equalia in duobus hominibus, quorum vnus consentit vocationi, & non alter.

^{1.} **P** Robando sententiam nostram, simul fundamēta contrariæ sententiæ, tam quæ ab auctoritate, quam quæ ratione petuntur, dissoluimus; tunc verò duas, vel tres appendices quæstiones, quæ hic

tractari solent, & in lib. 3. de Auxilio à nobis disputata sunt, hic addere oportet, tum ad materiæ complementum, tum quia aliquid in eis addendum occurrer, quod ad maiorem veritatis confirmationem, ac declarationem, & aliarum obiectionum expeditionem conferret. Solent ergo obiectionum maximè nobis obicere, quod ex nostra sententia sequatur ex duobus hominibus recipientibus æqualia gratiæ auxilia, contingat vnus conuerti, & non alium, quod maximum reputant inconueniens. Sequela videtur manifesta, quia stante eodem auxilio potest homo operari, & non operari, ergo idem homo cum eodem auxilio potest vno tempore consentire, & non in alio; ergo pari, vel maiori ratione ex duobus hominibus vnus cum equali auxilio poterit consentire, licet alius dissentiat. Falsitas autè consequentis solet à dictis auctoribus præcipue probari: quia in eo, qui consentit, Deus actus facit ipsum actum consensus, quem non facit in alio; ergo necessariò dat illi maius auxilium. Hæc verò probatio diuertit à vero sensu quæstionis, & ex æquocatione procedit, quæ ante omnia tollere necesse est.

Primum ergo omnium distinguere oportet inter auxilium præueniens, & concomitans, quod est ipsum actus influxus Dei in actum liberum hominis supernaturalem, qui influxus in reo distinctus gignitur ab actione libera hominis, sed est eadem, vt præueniens à Deo, vt sæpe dictum est. Hic ergo influxus est in eo, qui conuertitur, & non in eo, qui restit, vnde non sunt æquales, nec esse possunt in auxilio concomitante. Nec refert, quod Deus sit paratus ad dandum simile auxilium ei, qui non conuertitur, & quod per eum stet, quo minus illud recipiat: nam hoc non obstat quo minus in alio pertineat ad maiorem Dei gratiam recipere actualiter illud auxilium, quo alius ex negligentia sua caret. Semper igitur qui conuertitur, habet ex hoc capite maius auxilium, & consequenter maiora etiam dona, vel actualia, nam ipsi meriti actus sunt dona Dei, vel habitualia, quæ ratione actuum infunduntur. Vnde ad tollendam hanc æquocationem, & omittendum hoc punctum, de quo non potest esse controuersia, quæstionem posui de solo præueniente auxilio, seu de vocatione, in qua punctum est difficultatis.

Secundò supponere oportet, auxilium præueniens duobus modis spectari posse. Primò secundum suam entitatem, & vim quam habet ad mouendam, & trahendam voluntatem, siue illa vis physica sit, siue moralis. Secundò potest considerari in ratione doni, & beneficij gratuiti: non enim semper hæc duo æqualiter, seu cum eadem proportionem alicui rei conueniunt, sed interdum illud donum, quod in sua entitate ab soluta, vel minus est, vel non maius, in ratione beneficij, & doni moraliter existimatur maius propter diuersos respectus, maximè verò, quia in ea opportunitate datur, in qua vel magis necessarium est, vel maiorem fructum homini est allaturum. Sic certè contritio data homini in medio vitæ, à qua fortasse postea recedet, vel data in extremo vitæ, & cum qua saluetur, non reputatur æquale beneficium, sed hoc potius multo maius, etiam si fortasse contritio ipsa nec in intentione, nec in duratione, nec in auxilijs ad eam necessarijs sit maior, imò etiam sit minor. Ratio autem est, quia beneficium, & gratia, sicut etiam misericordia, vel elemosyna, non attenditur solum ex quantitate doni, sicut motio, vel auxiliu, sed maximè ex affectu dantis, & ex comoditate recipientis, & ex effectibus, vel fructibus, qui de facto in tali dono, tanquam in semine, & in virtute continentur, vt faciliè posset humanis exemplis monstrari, sed res est per se satis clara.

Tertio supponendum est vocationem, seu gratiam efficacem præuenientem in ratione gratiæ, & be-

gratiam efficiam praeuenientem, & beneficij semper excedere praeuenientem gratiam, quae tantum sufficiens est. Hanc assertionem tradidi cum Bellarmino lib. 3. de Auxil. c. 20. & probabiliter satis illam suadet testimonium Pauli 1. Corinth. 4. quod in hac causa maximè obici solet. *Qui est qui te discernit.* Nam intelligendo hæc verba de discretionis in aeterna sanctitate, & iustitia, inter eum, qui conuertitur, & eum, qui resistit, illam Paulus Deo singulariter attribuit, quod, (vt supra declaravi,) maximè intelligendum est secundum diuinam electionem, & præparationem diuini auxilij congrui & accommodati, ergo hoc est peculiare beneficium, quod recipi tis, qui conuertitur, & non alius, pertinetque ad praeuenientem gratiam.

Atque ita intellexit hunc locum Augustinus docens planè hanc sententiam in lib. de Prædestinat. Sanctior. à cap. 5. vsque ad 16. differentiam in hoc constituit, quod præparatur voluntas à Domino. vtique per vocationem congruam, vt alis locis supra citatis exponit, & specialiter de dono persever cap. 14. vbi docet, quod sicut Deus vocat congruo modo eum, quem elegit, ita potuisset præparare opportunitatem similis vocationis ei, quem non elegit, & ideo merito ad gratuitam Dei voluntatem, hanc diuersitatem reuocat, & singulare Dei beneficium esse reputat. Quod etiam sentit Prosper ad 4. & 5. obiectionem Gallor. & ad excerpta Genuesi. cap. 4. & lib. 2. de vocat. gent. cap. 23. aliàs 8. Remigius 1. ad Corinth. 4. Ac denique D. Thomas 1. 2. q. 112. art. 4.

In hoc sensu docet inæqualitatem gratiæ habituales provenire ex inæquali dispositione, non esse tamen ibi sitendum tanquam in prima radice, quia hæc posita nst in diuersa præparatione diuinæ gratiæ. Et ideo in 2. 2. q. 24. art. 3. inæqualitatem charitatis reducit in solam voluntatem Spiritus sancti, vtique tanquam in primam radicem, nam in executione etiam est dispositio ex parte hominis, cuiusque cooperatio attendenda, vt docuit Concilium Tridentinum sess. 6. capite 7. Vnde idem D. Thomas Matth. 25. circa illa verba, *Vnicuique secundum propriam virtutem*, ait, *Si queris, quare vnus habet magis de gratia, quam alter. Dico, quod huius rei est causa proxima & causa prima: proxima est maior conatus istius, quam illius causa prima est electio diuina.* Ratio denique est, quia vocatio efficax, est magis accommodata ei, cui datur, & in virtute, & in fide continet sanctitatem, vel etiam æternam gloriam, si talis sit, vt mediante illa talem effectum consequamur. Vnde provenit ex peculiari Dei providentia, & gratuita electione, ideoque in ratione gratiæ, & beneficij excedit. Quo circa cum in superioribus ostensum sit, neminem credere, aut conuerti sine auxilio efficaci praeueniente, manifestum est in eo, qui conuertitur, semper esse maiorem gratiam praeuenientem, saltem in ratione doni, & beneficij, quam in eo, qui non conuertitur.

Quarto manifestum est sæpe, & fortasse frequentius contingere, vt is, qui conuertitur, maiora auxilia praeuenientia recipiat, etiam in ratione auxilij, & motionis, quam ille, qui non conuertitur, & similiter in eis duos, qui conuertuntur intensius, & remissius differentiam sapissimè provenire ex pluribus, & maioribus inspirationibus diuinis. Vnde etiam fit, vt auxilium efficax sæpe differat à sufficienti, non solum in ratione beneficij, sed etiam in quantitate absolutæ motionis, & auxilij, vel saltem in maiori, & specialiori protectione Dei aufferentis impedimenta, & offerentis occasiones, & opportunitates, quæ conuersionem, vel operationem faciliorem reddant. Hæc omnia aded sunt certa, & clara, vt non indigeant probatione, nam constat ferè experimento. Item in auxiliis externis videmus hanc diuersitatem: nam quibusdam prædicatur Euangelium, & non aliis, & in Corozaim, &

Bethsaida factæ sunt virtutes, & non in Tyro, & Sidone; ergo eadem differentia, & distributio intelligenda est in internis auxiliis: nam ordinariè Deus excitat interius, mediante exteriori verbo, signo, vel obiecto. Præterea sæpe contingit, vt multis æqualiter exterius audientibus idem verbum Dei, non detur interius æquale lumen, sed diuersimodè ab Spiritu sancto doceantur, vt tradit Gregor. Homil. 30. in Euangel. Ratio verò est, quia Spiritus sanctus est Dominus donorum suorum, & singulis diuidit prout vult, & quibus maiorem gratiam, & maiora auxilia confert, maiorem facit misericordiam, cæteris verò, quibus dat maiora, non facit iniustitiam, quia maiora non debet, & sufficientia non negat, ad quod accommodari potest parabola Matth. 20.

His ergo existentibus certis, difficultas superest, an semper necessarium sit maius praeuenientis gratiæ auxilium dari illi, qui consentit, quam ei, qui non consentit, non solum in ratione beneficij, sed in ratione motionis physiciæ, vel saltem moralis auxilij, vel possit esse vniformitas in toto actu primo, & nihilominus esse diuersitas in actu secundo, seu inæqualitas in toto praeuenienti auxilio, inæqualitas in solo concomitante auxilio ex parte Dei, & conatu liberi arbitrij ex parte hominis. In quo puncto est multorum Theologorum sententia, nec cessariam semper esse inæqualitatem in aliquo praeuenienti auxilio. Hanc opinionem sequuntur non solum omnes defensores physiciæ prædeterminationis, sed etiam aliqui ex nostris auctoribus. Vnde sententia hæc in duas subdiuidi potest. Prior affirmat eum, qui conuertitur, semper habere præuium auxilium maius consistens in aliqua physica motione per se influente in actum liberum, & necessaria, vt eliciatur. Hæc sententia sequitur aperte ex necessitate præmotionis physiciæ, & ideo non oportet in particulari referre auctores, quia iidem sunt, quos supra pro physica prædeterminatione retuli. Solum aduerto, solos illos, qui prædeterminationem physicam necessariam esse putant, cogi consequenter ad hoc asserendum: nam qui dicunt esse possibilem, non tamen necessariam, faciliè possunt, imò & debent admittere non esse necessariam hanc inæqualitatem, quia sine illa motione præuia potest quis consentire, & consequenter, licet de facto consentiat, necessarium non est, vt in illa motione superet alterum, qui non consentit, nec etiam in alia, quia nulla alia præuia motio cogitari potest, quæ ad consentiendum sit physice necessaria, cum post sufficientem vocationem auxilium concomitans physice sufficiat.

Fundamenta huius opinionis non sunt alia præter ea, quæ pro physica prædeterminatione afferuntur. Maximè verò vigetur illud, *Qui enim te discernit?* Quia hæc verba in omnibus, & respectu omnium aliorum, qui minora iustitiæ dona recipiunt, vera sunt; ergo semper Deus est, qui discernit, non solum metaphoricè, aut moraliter, sed propriissimè, & physice, quod non potest esse verum, nisi ratione maioris præmotionis physiciæ, imò ratione talis motionis, quæ ineffabiliter inæqualitatem, & discrimen inter vocatos efficiat. Vrgent præterea verba sequentia, vsque ad illa, *Quid gloriaris, quasi non acceperis.* Nam si absque maiori physica motione posset homo in sua fide, verbi gratia, à non credente discerni, multum haberet de suo vnde posset gloriari, nimirum, quod melius fuerit vsus gratia, quam alius, hoc enim ex sua innata libertate habet, si maior motio Dei in eo non procedit. Vnde vltius fit, vt talis homo non teneatur maiores gratias Deo agere, quam alter, qui non conuertitur, quia non maiorem præmotionem accipit,

capit, & quamvis simultaneum auxilium recepit, quod alter non accepit, nihilominus non minores gratias debet Deo, quia ex se paratus fuit ad dandum, & ipse homo culpa sua non accepit.

9. *Sententia 2.* Secunda sententia est aliquorum, qui cum non admittant physicam prædeterminationem, vel ut necessariam, vel etiam ut possibilem, nihilominus putant, semper esse necessarium in eo, qui conuertitur, aliquod maius auxilium morale, aut positivum ac per se moraliter concurrere, ut est maior mentis illustratio, vel explicatio ad magis attendendum, vel maior voluptas, & suavis affectus, aut saltem priuativum, nimirum, maior impedimentorum, aut tentationum remotio. Unde qui sic opinantur, non semper requirunt maius auxilium internum etiam morale, sed vel internum, vel etiam externum, quale esse potest in prædicta remotione impedimentorum, vel in meliori corporis dispositione, magisque apta internam attentionem, vel certe in meliori Doctore, & melius suadente, aut aliis similibus auxiliis. Hanc partem ex nostris tenuit Gabriel Vasquez 1. p. disp. 98. & 1. 2. disp. 189. cap. 14. & fortasse aliquos habuit sectatores, ex his, qui postea docuerunt, ex illis vero, qui scripta sua typis mandarunt, & physicam prædeterminationem non admittunt, nullum alium scio, qui hunc dicendi modum fuerit sequutus. Fundamentum autem eius in primis consistit in quibusdam testimoniis Augustini, quæ generalia sunt in omni sententia, & iuxta tertiam suppositionem à nobis politam facile exponuntur, & ex discursu constabit.

10. Præter hæc autem testimonium magis fundatur in principiis philosophicis, quam Theologicis. Nimirum, quia fieri non potest, ut stante eadem representatione obiecti sub eadem ratione convenientis, vel disconvenientis, & eadem mentis attentione, & ex parte voluntatis eadem prævia dispositione, vel habituali, vel actuali, per aliquam imperfectam motionem, affectionem, vel delectationem, & ex parte corporis eadem, vel æquali complexione, & pensatis omnibus eadem promptitudine, vel difficultate, ac denique, ex parte rerum externarum, seu adiacentium eadem impedimentorum remotione. His, inquam omnibus æquè constitutis fieri non potest, ut unus consentiat, & alius dissentiat, vel quod idem homo nunc resistat, postea velit, non solum in supernaturalibus, sed etiam in moralibus, vel politicis, vel cuiusvis ordinis naturalis. Hoc autem principium videtur posse probari à priori, quia voluntas non potest moveri ad volendum, vel nolendum, nisi per rationem; ergo stantibus omnibus paribus ex parte rationis non potest voluntas aliter, & aliter velle pro suo solo arbitratu. Quod à posteriori confirmatur primò, quia aliàs etiam posset voluntas pro suo arbitrio in malum, ut malum ferri. Confirmatur secundò, quia aliàs posset sequi id, quod malum est, & peccatum nullo existente defectu in ratione, quod videtur esse contra Aristotelem 3. Et hic capite 1. dicentem, *Omnis peccans est ignorans*, idè, & contra Sapiientem dicentem, *Errant, qui operantur malum*, & contra D. Thomam, ac ferè omnes Theologos dicentes, non posse esse defectum in voluntate, quin præcedat error, vel inconsideratio in intellectu. Confirmatur tertio, quia si duo obiecta, vel media proponantur voluntati, & ut æqualia inter se, & ut æqualiter considerata, fieri non potest, ut voluntas alterum eligat, nisi prius vel intellectus in vnum magis intendat, vel aliquam rationem illud præferendi inueniat, quia ad illam electionem, necessarium est aliquod motuum, quia non potest voluntas moveri sine motu ex parte obiecti.

11. Hinc ergo concludit hic auctor, idem necessariò

dicendum esse in operibus gratiæ, quando vnus vocacioni consentit, & alius dissentit, nimirum aliquam inæqualitatem præcedere in eis, quæ ad gratiam præuenientem necessariò debet pertinere, quia cum præcedat consensum, non potest tribui hominibus ergo soli Deo eiusque peculiari providentia, cumque illud, quidquid est, quod ei qui conuertitur, antecederet datur, ad supernaturalem consensum præstandum, ordinetur, & inuet, sine dubio ad auxilia gratiæ præuenientis pertinet, ergo ex aliquo capite semper auxilium præueniens maius est in eo, qui consentit, quam in eo qui resistit. Et ad hoc confirmandum induci possunt testimonia, quæ in dicta disputatione 98. c. 3. Vasquez allegat, in quibus Deus dicitur aliquorum misereri, & alios indurare, & non esse volentem, neque currentem sed Dei merentem ad Rom. 9. quod ratione specialioris vocacionis grauitate dictum esse supra diximus, & testatur Augustinus 2. ad Simplicianum. Item propter eandem rationem dicitur Deus specialiter trahere eum, qui venit ad eum, qui consentit, & similia, quæ habentur Ioan. 6. & aliis locis, quæ tractantur ab Augustino lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum. c. 3. & 19. de prædestinatione. Sanctior. cap. 8. & alibi sæpe. Denique ad idem induci possunt testimonia Augustini, & aliorum Patrum ab eodem citata cap. 4. præsertim videtur virgere illud Augustini lib. 2. de peccatorum meritis, ubi causam inquirens, cur homines nolunt facere, quod iustum est, respondet, quia vel latet, quod iustum est, vel non delectat. Tanto enim, ait, quodque videretur volumus, quanto certius, quod bonum sit, nouimus, eo delectamur ardentius. Iuxta quam regulam Augustinus semper in eo, qui consentit bene volendo, est maior aliqua cognitio, vel delectatio, quæ illum impellit, & in eo, qui non similiter vult, est minor. Unde cum in capite 19. subiungit, Deum aliquando non dare hominibus certam scientiam, vel videtur delectationem ad operandum iustitiam, vi cognoscitur à sensu, sed ab illis sibi esse lucem, quia illum in manu tenentur, & suauitatem, quæ dat fructum terrarum. In quibus verbis supponit clare quod homines bene operantur, aliquid speciale in hoc recipere, sine quo non ita operaretur, vel quod non datur alteri, qui non ita operatur. Et ad hunc modum alia eiusdem Sancti, & aliorum testimonia in huius sententia fauorem inducuntur.

Nihilominus contrariam sententiam verum esse credimus, & necessariò consequentem ad ea, quæ hætenus docuimus de gratia efficaci, quod ex se non sit ita efficax, ut sua vi siue physica, siue moraliter determinet voluntatem omnino, id est, ut non possit voluntas ei resistere. Dicimus ergo, vocacionem efficacem, seu congruam non semper præcedere vocacionem sufficientem, in aliquo dōpō, quod præuenientis auxilij, siue physice præueniente, siue moraliter, siue interioris, siue exterioris, siue positivæ, siue inclinante, siue remouente prohibens. Hanc assercionem docuerunt multi Theologi. Ex antiquis præsertim possimus in primis referre D. Thomam 3. 2. 2. q. 109. art. 8. ad 2. dicentem de aliquibus baptizatis, quod licet interdum æqualem gratiam percipiant, non æqualiter illa viuunt, sed vnus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratia Dei deest. Et quamvis verum sit præcipuè loqui de gratia habituali, & sacramentali baptisimi, tamè quatenus inæqualitatem postea tribuit libero arbitrio, necesse est, ut in omni gratia præueniente necessaria ad operandum æqualitatem supponat. Unde idem D. Thom. Math. 25. in illa verba, *Parate, quia nescitis diem, & horam, in qua veniet filius hominis*, dicit proximam rationem inæqualitatis gratiæ esse diuersum conatum liberi arbitrij, licet prima causa sit diuina electio, in quo etiam sentit non esse necessarium, ut secundum ordinem excitationis illa inæqualitas ex inequali auxilio præueniente proueniat. Pro eadè sententia citantur

in lib. de Auxiliis Bonauentur. in 4. d. 16. part. 2. art. 4. quæst. 1. ubi aperit de charitate dicit, incedi quantum ad feruorem, & augeri quantum ad essentialem virtutem, id est, quantum ad actum, vel quantum ad habitum; & primum, ait, à cooperatione liberi arbitrij, secundum verò est à dono celesti, nimirum, quia habitus à solo Deo intenditur, ex quo elicit, etiam motum contritionis feruentiorem esse posse ex cooperatione liberi arbitrij & addit, Vnde ex equali gratia aliquando magis feruens elicitur motus, aliquando minus, secundum cooperationem liberi arbitrij; addit verò, proprium augmentum fieri in ipsa virtute poenitentiae, & illud fieri per gratiam, sicut de charitate dixerat. Expressius, & latius punctum attingit Alti-fiodoren. lib. 2. Sum. tract. 2. cap. 3. & aperit docet, inter duos æquæ tentatores, quorum vnus resistit, & non alius, non esse necessariam aliquam antecedentem inæqualitatem interuenire, sed libertatis dominium sufficere. Idem ex professo docet Dionys. Cisterciens. 2. dist. 27. art. 3. ubi tandem doctrinam tradit de agente libero, & putat sequi necessarium ex definitione potentie liberæ, & in conclus. 3. id explicat etiam in actibus supernaturalibus, qui procedunt à duobus voluntatibus habentibus æquales habitus charitatis cum omnibus aliis prærequiritis æqualibus. Nam ex sola libertate, vti ait, potest vnus actus esse intensior, & alius remissior, & eadem ratione potest ab vna esse aliquis actus, & ab altera nullus, quia libertas vtrumque æquæ complectitur.

Præterea ex modernis Theologis allegaui in lib. de Auxiliis Sotum lib. 1. de Natur. & grat. cap. 16. & Vegam lib. 6. in Trident. capite 9. quos etiam Vafquez citat, & addit Ioan. à Bonon. opus. de liber. arbitrij. §. Ex suis autem. dicentem in hac quæstione de duobus, quorum vnus conuertitur, & non alius sufficiens rationem esse, quia sic vni visum est, & non alteri. Allegaui præterea Ruardum, quem Vafquez supra num. 35. pro sua sententia allegat, nec sine aliquo fundamento, nam variè loquitur, & in vtramque partem trahi potest, existimo tamen nostræ fauere sententiæ. Nam art. 7. decimam assertionem ponit huiusmodi, quod ex similiter tractis, & interius corde vocatis, vnus credit, & conuertitur, & alius manet incredulus, nec conuertitur, contingere potest ex sola arbitrij diuinitus preparati libertate. Et rationem reddit, quia positis omnibus, quæ præcedunt, & requiruntur ad fidem & conuersionem, libera manet voluntas, nec inducitur necessitas, se determinandi ad sequendam vocationem. Postea verò in discursu assertionis ad illam explicandam querit, quid addat vocatio à proposito, quæ effectum habet à vocatione communi, quæ consensum non persuadet, & respondet. Videtur quid sit aliquis modus, vel oblatio impediendi, vel simile aliquid, quod non est in alio, & plerumque ob eius culpam, & negligentiam, & quod obscurius est, addit, Ex sola enim Dei ordinatione inspirationes vim quandam intentionalem accipere possunt. Vnde videtur tacite limitare assertionem, nimirum, quod in internis inspirationibus potest esse æqualitas, semper tamen aliquid amplius sit in vocatione congrua ex oblatione impediementorum. Sed hæc expositio destruit assertionem, si enim non similiter trahuntur illi homines, quia magna pars tractionis est oblatio impediementorum. Et similiter repugnat his, quæ in septima, & octaua assertionem docuerat. Et ideo existimo in assertionem explicasse Ruardum id, quod per se, ac simpliciter necessarium est, postea verò declarasse modum, qui frequentius seruatur, & qui fortasse non pertinet ad solam gratiam præuenientem, sed aliquam concomitantem includit, vt paulo post explicabo posterioris sententiæ fundamenta soluendo. Allegaui præterea Driedonem in lib. de captiuit. & redempt. gener. human. tract. 4. cap. 2. part. 6. con-

clus. 5. quæ talis est. Quam admodum ex duobus equaliter infusis, contingit alterum libero arbitrio à gratia deperire, consentiendo desiderijs, alterum eodem arbitrio innixto Dei auxilio perseruare, sic ex duobus adhuc impijs, equaliter indignis, equaliter diuini infinitibus pulsatis, aut admonitis ad fidem, vel poenitentiam contingit alterum non relinquare, sed locum dare pulsanti Deo, alterum verò resistere. Quam assertionem postea declarat, nihil omnino limitando vel addendo. Nihilominus tamen P. Viquez eundem Driedonem pro sua sententia allegat in eod. opere, & tractatu, in capite (inquit) quinto ad vltimam confirmationem secundi argumenti. Sed tractatus ille non habet caput 5. & licet locum diligenter quæ fieri non inueni, & ideo iudicium de illo proferre non possum. His addemus Stapletonum lib. de Grat. & liber. arbitrij. cap. 8. ubi etiam ex Augustino eandem sententiam refert, Latius, & optime docet eandem sententiam Cunerus l. de liber. arbitrij. c. 9. & 10. ubi Driedonem, & Ruardum allegat, atque approbat. Quia verò Ruardus dicit, ex sola libertate voluntatis à Deo preparatæ posse hoc discrimen inter equaliter vocatos euenire, ipse temperat particula solâ, seu explicat positam esse ad excludendam specialem, ad nouam motionem præuiam quæ detur illi, qui consensit, non tamen ad excludendam diuinam cooperationem gratuitam, quæ simul, (inquit,) cum ipso voluntatis opere incipit, & desinit. Eandem sententiam tradit Orantius in locis Cathol. lib. 1. c. 27. ubi inquit, Si interroges cur ex duobus vocatis vnus conuertatur & non alius? liberum arbitrium in causa fuisse, cum Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, & vniuersa Ecclesia dicam.

Secundo principaliter probatur hæc sententia auctoritate Patrum, nam frequenter dum tractant quæstionem, cur Dei gratia in quibusdam effectum consequatur, in alijs verò minime, rationem ex parte liberi arbitrij reddunt, asserentes, in vtriusque nihil ex parte Dei deesse, & plerumque illis gratiæ auxilium æqualiter offerri. Ita Gregorius Nicens in Orat. Magn. catechum. ca. 30. & inter alia dicit potuisse homines conqueri, si alij vocarentur, alij expertes essent vocationis. Si autem, (ait,) pariter ad omnes procedit vocatio, non est quid Deum accusent, & c. Et intra diuersitatem inde oriri dicit, quod Deus aliquid in hominis potestate dimittit. Hoc autem est, (inquit,) liberi arbitrij libera electio, & c. Vt autem ratio alicuius sit momenti, necesse est, vt de æquali vocatione loquatur, quam æqualitatem per particulam pariter indicauit, non quia oporteat æqualitatem esse omnibus: nam hoc necessarium non est ad iustitiam Dei defendendam, quod Nicens intendit, sed quod esse possit, & forte non raro ita sit in communi vocatione, quæ in quibusdam habet effectum, & in alijs non habet. Nam si oporteret semper vocationes esse inæquales inde potius sumenda esset ratio, nam ex parte liberi arbitrij nõ posset satisfacere, quandoquid ad consentiendum maiori semper indiget gratia, quam ei, qui nõ conuertitur, detur, vel ex parte Dei offeratur.

Atque eodem modo tractant, & expedit eandem quæstionem Chrysostomus Homil. 16. in ad Roman. ferè per totam, & Hieronymus epist. 150. eandem ad Hedibiam quæst. 10. & optime Cyrillus libro 11. quæst. in Ioan. capite 21. ubi de Iuda dicit. Quod si producor æqualiter alijs Saluatoris auxilium non habuisset, frustra hæc à nobis diceretur, (scilicet, ipsi Iudæ lapsum esse tribuendam, & sin autem non minus quam ceteri diuina gratia regobatur, sed suo ipsius iudicio in profundum perditionis delapsus est, quomodo etiam non seruauit eum Christus? vti quæ quantum in ipso erat, & quantum satis erat, vt cum alijs innocens permaneret, vnde concludit. Gratia igitur in alijs effulsit, seruauitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt, sic enim salutis nostra modus dispositus est. Nihil certe illustrius, vel manifestius dici poterat. Subscribit, item Origen. libro 3. Periarch. cap. 1. ubi defendendo, tam in bonis, quam

in malis, arbitrij libertatem, sumit exemplum ex Paulo ad Hebr. 6. de terra, quae saepe venientem super bibens imbrem, germinat vel herbam opportunam, vel spinas, aut tribulos. Et addit. Ex his quos assumpsimus Pauli sermonibus euidenter ostenditur, quod vno eodemque opere Dei, quo imbrem terra largitur, alia quidem terra diligenter excolta fructus ferat bonos, alia verò, quae negligenter excolta est, spinas, & tribulos proferat. Quod latè prosequitur, & per terram intelligit liberum arbitrium, quod in hoc à terra materiali differt, quòd terrar ab aliis coli debet, vt fructificet, liberum autem arbitrium ipsum est, à quo occultum speratur, non sine ope, & auxilio celestis pluuiae, & auxiliij.

16. Neque isti soli Patres, qui vel ante Augustinum scripserunt, vel ipsum non legerunt, sed etiam Augustinus ipse saepe docere eandem vocationem in vno habere effectum, & non in alio, quia vnus accommodat voluntatem suam vocationi, & non alius, sic ait q. 2. ad Simplician. *Quamuis multi vno modo vocati sint, quia tamen non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, quae capienda reperitur idonei* Et infra. *Cum ergo vnus sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eademque res vno modo dicta moueat, alio modo non moueat, vnum moueat, alium non moueat.* Per quae verba & alia multa, quae ibi habet similia, aptè sentit, cum eadem vocatione vnum consentire, alterum repugnare. Dices saltem postulare Augustinum in ipsis vocationibus diuersum modum, vel diuersam affectionem, vel dispositionem ex parte vocatorum.

Solutur. Respondeo in primis, etiam si contingat, vocatos esse diuersi modi affectos, vel ex complexione naturali, vel ex consuetudine, hoc nihil obstat, quò minus auxilium gratiae praeniciens vtique datum aequale sit secundum se, & secundum vim excitandi, & mouendi, quam habet, & hoc nobis satis esset, nam illa maior proportio ad conditionem suscipientis non pertinet ad maius auxilium, licet pertineat ad maius beneficium ex peculiari Dei electione proueniens, iuxta doctrinam eiusdem Augustini de dono persever. cap. 14. Deinde illa diuersitas antecedens in affectionibus suscipientium vocationem, licet saepe consideretur, non est tamen simpliciter necessaria, quia si ante tali dispositione voluntas vocata liberè determinatur, quia ratione talis dispositionis per vocationem non determinatur, potest & cum illa, & sine illa vel consentire, vel repugnare vocationi. Et praeterea licet Augustinus varios modos illius diuersitatis attingat, etiam concludit, eandem rem vno modo dictam vnum mouere, & alium non mouere, vtique pro suo arbitrio, etiam si alia diuersitas vel in personis, vel in vocationibus non praecedat. Et similiter in expositione Psalmi 142. circa illa verba, *velociter exaudi me Domine*, significat eandem vocationem vno tempore esse profuturam, & non alio, esseque speciale beneficium Dei dare illam tempore opportuno, etiam si in se eadem sit. Vnde sic inquit. *Cito audi me Domine, quae enim mora quando sis sitis, ad inflammandam sitim meam? Pluiam differebas, vt hauriens imbrem, non respuerem, quod infueres. Si ergo differebas, iam da, quia anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

17. Declarant praeterea Augustini mentem alia eiusdem testimonia, in quibus testatur, licet non possit homini tribui, quòd fuerit vocatus, posse illi tribui quòd vocatus venerit, & affirmat lib. 8. Quæstion. q. 68. & tract. 4. in i. epist. Ioan. vbi sic ait, *Quia agis ibi aliquid voluntate, ideo aliquid tibi tributum est.* Nam si homini consentienti vocationi rectè tribuitur, quòd veniat, cum multo magis repugnanti tribuatur, quòd non veniat, rectè consequitur, sufficientem rationem diuersitatis reddi ex vtriusque libero vsu, etiam si in omnibus antecedentibus sit aequalitas. Idemque confirmant alia loca in quibus ait, post vocationem homini relinquij liberam electio-

nem, & qui vocatus non venit, potuisse venire, & venturum fuisse, si voluisset, & consentire, vel dissentire vocationi, propria voluntate esse, quòd loci in superioribus satis allegata sunt: ex illis autem principiis aptè sequitur assertio, quam nunc confirmamus, & inferius rationabimur. Ponderanda sunt tamen specialiter verba Augustini in Enchirid. cap. 64. *Quamuis veraciter dictum sit, Quotquot sunt filij Dei aguntur, hi filij sunt Dei: sic tamen vt filij Dei aguntur, & tanquam filij Dei proficiunt ad Deum, vt etiam spiritu suo maxime aggrauante corruptibili corpore, tanquam filij hominum quibusdam moribus humani deficient ad ipsos.* Ex his enim verbis rectè perpendis, non obicere colligitur eandem excitationem, quae interdum spiritu Dei ita agitur, vt proficiamus, aliquando ab homine refutari, & ideo deficere: hoc ergo, & in vno eodem homine, & in diuersis suo arbitrio operantibus potest contingere.

Est denique testimonium satis expresse eiusdem Augustini lib. 12. de Ciuitate cap. 6. vbi explicat ad illam diuersitatem constituendam vim libertatis sufficere, dummodo habeat auxilium ad vtrumque sufficiens, inquit. *Si cum aliqui duo aequaliter affecti animo, & corpore, videant vnus corporis pulchritudinem, quae visa vnus eorum ad illuc per suum mouetur, alius in voluntate pudica stabili peruenit, quid potius esse cause, vtique nisi vnum liberum. Discurrunt enim deinde alias causas excludendo, addit: Si eadem excitatione ambo tententur, & vnus ei credas, aliter peruenit, quid aliud apparet nisi vnum voluisse, & alterum multum castitate desistere. Quem locum multis quidem verbis conatur effugere P. Vasquez, non possum autem illis colligere, quid tandem respondeat, interdum enim contemneret locum videtur, & dicere, alios liberos, in quibus Augustinus de gratia ex professo scripsit, esse praefrendos. Quali verò Augustinus vel in illo opere de Ciuitate aliquid contra Deigratiam, vel contra aliorum librorum doctrinam scripserit, vel in aliis libris de Gratia non eodem modo de libertatis virtute senserit, in nullo enim loco eam separat à gratia in operatione boni, vel peruerantia in illo, in omnibus verò soli libertati defectum tribuit. Vnde aliter respondet, quamuis Augustinus constituat in eo casu aequalitatem in rebus aliis, non negasse beneficium vocationis congruum, quae illi datur, qui bene operatur. Sed licet verum sit Augustinum non excludere hoc beneficium, nihilominus aequalitatem constituit in omni motu & excitatione, atque adeò in omni auxilio, haec enim duo non repugnant, vt iam explicauimus. Cetera verò, quae circa illud testimonium Vasquez adiungit, magis ad suam sententiam adstruendam, quam ad testimonium explicandum pertinent: quantum autem ad id valeant, postea videbimus.*

Augetur vis huius testimonij exemplo bonorum, & malorum Angelorum, quod in eodem capite 6. Augustinus tractat, & proprius in libro de Corrupt. & grat. 11. & 12. Nam in Angelis certum est eos qui ceciderunt, habuisse, vel aequalia, vel maiora auxilia gratiae praenientis, quam illi, qui steterunt, nam fuerunt perfectioris naturae, & gratia est illis data iuxta proportionem naturalium, vt communiter docent Theologi. Neque potest cum fundamento dici, plura impedimenta in vno Angelis, quam in alio fuisse, & ab vno fuisse ablata speciali gratia, & non ab alio. Quin potius Augustinus dicto c. 11. & 12. aptè sentit, omnes relictos esse cum eisdem auxiliis gratiae praeuenientis proportionem seruata, vt libertate sua vterentur. Solam cogitari potest Luciferum, v. g. maiorem quamdam naturam superbiam habuisse propter maiorem naturae excellentiam. Sed hoc nihil obstat, tum quia etiam habuit excellentiorem gratiam cum proportionem

17. Alia Augustini testimonia.

tum etiam, quia multi inferiores in natura peccarunt, & alij superiores perseverarunt.

Deinde ex casu Adam, & ex eodem Augustino in eodem loco de Cotrept. & grat. potest sumi efficax argumentum, nam sine dubio habuit sufficientem gratiam ad vincendam tentationem, & cum illa sola ex parte praeuenientes auxilij stante eadem dispositione voluntatis eius, & cum eisdem antecedentibus impedimentis potuit moraliter magna facilitate tentationi resistere, quod si faceret, gratia illius fuisset efficax; ergo cum illa eadem gratia praeueniente potuisset vel ipse Adam, vel alius homo illi similis tentationem illam vincere, & ita illud item auxilium, quod nunc fuit tantum sufficiens, sine alio praeueniente esse efficax, seu effectum habere; non est ergo necessaria inaequalitas illa ex parte praeuenientis auxilij, aut circumstantiarum antecedentium inter auxilium efficax, & sufficiens.

Aliud item exemplum habetur nomine Augustini in lib. de Praedestin. & grat. cap. 15. de Pharaone, & Nabuchodonosor, quia eisdem, seu equalibus gratiis praeueniti sunt, ut ibi late declaratur, & tamen Pharaon suo arbitrio fuit induratus, Nabuchodonosor autem gratiae cooperando fuit conuersus. Quod verò dicunt aliqui illos considerari ab Augustino aequales, in externis auxiliis, non interius, est quidem verum quoad concomitantes, seu adiuvantes auxilium, non autem quoad sola praeuenientia, alioqui parvi momenti, & efficacia fuisset comparatio, ut paulo post in simili dicam. Vnde Augustinus ibidem cum rationem diversitatis ex libertate arbitrij reddidisset, ex parte Dei ait, illa omnia vel adiuuante Deo perfici, vel deserente permitti. Est ergo diversitas in auxilio adiuuante, & in beneficio congruae opportunitatis, non in maiori praeuenienti auxilio.

Generalius exemplum sumitur ex Prospero lib. 2. de vocat. gent. cap. 15. aliis 5. ubi vniuersaliter de gentibus ante Euangelij praedicationem ait. Adhibita semper est vniuersis hominibus quaedam superna mentis doctrina, quae est paucioris occurrentisque gratiae fuit, sufficiens tamen, sicut Dominus indicauit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium: ut non dubio, sed euidenter appareret, quod nisi ubi abundauit peccatum, superabundaret gratia, nunc quoque vniuersum genus similis obnoxiet impietati. In quibus verbis solum expendo iuxta sententiam Prosperi eandem gratiae mensuram in quibusdam fuisse efficacem, quandoquidem illis profuit ad remedium, licet in ceteris frequentius solum fuerit sufficiens. Et quamuis nunc specialior, maiorque gratiae vocatio vniuersis gentibus tribuatur, ut idem Prosper cap. 23. prosequitur, nihilominus proportionem seruata etiam in illa generaliter spectata, & respectu communitatis plurimum hominum, vel etiam populorum inuenitur quaedam aequalitas, nam multi eisdem auxiliis praeueniantur, quorum aliqui conuertuntur non resistentes gratiae Dei, sed illi cooperantes, alij verò pro sua libertate gratiae resistendo deficiunt.

Et hoc signum fuit idem Prosper cap. 26. dicens, haec abundantiorem gratiam ita credimus, & exprimimus potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentum, quod quidquid in hominibus agitur, sola Dei voluntate peragitur. Deinde verò explicatis huius gratiae praeuenientibus auxiliis, addit. Quae opulatio per innumeros modos sine occultis, siue manifestis omnibus adhibetur. & quod à multis respiciatur, ipsorum est nequitia: quod autem à multis suscipitur, & gratia est diuina, & vo-

luntatis humanae. Vbi semper loquitur de eadem praeuenienti gratia, ac proinde etiam aequali; ideo enim non ex sola illa, sed adiuncta etiam hominis libertate rationem diuersitatis in hominum conuersione, vel auersione desumit. Hoc etiam confirmat quaedam pia, & vera Sanctorum cogitatio, quae ad humilitatem prouocant, quia si Deus aliis eadem contulisset auxilia, quae ipsis contulit, meliores fuissent. At haec consideratio supponit cum eisdem auxiliis posse vnum hominem melius perficere, quam alium, magis cooperando. quae consideratio praecipue solet ex D. Francisco referri. Illam verò inter sua exercitia ponit Bonauentura, & est 8. Quod opusculum habet tom. 1. opusculorum. in ult. in antiquis, in nouis autem in tom. 6. in 3. par. opusculorum. Et eandem tradit S. Vincentius in tract. de vita spirituali. cap. 2.

Vltimò habemus singulare exemplum in Euangelio Matth. 11. Si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quae Corozain, & Bethsaida factae sunt, incipio, & cinere penitentiam egissent. Afirmat ergo Christus eisdem auxiliis, quibus Iudaei non sunt conuersi, fuisse Tyrios, & Sidonios conuertendos, si eis data fuissent. quam fuisse prophetiam, & certissimam Christi assertionem, & reuelationem in secundo Prolegomeno probauimus. Et ex eodem loco supra cap. ostendimus ad actualem conuersionem, & bonum usum praeuenientium auxiliorum, non esse necessarium auxilium de se efficax, & physice praedeterminans, & ibi dicta probant, nullum aliud auxilium praeueniens esse necessarium; quandoquidem cum eisdem fuissent conuersi Tyrij, & Sidonij. Neque verisimilis est quorundam responsio dicentium, Christum loquutum esse de solis externis auxiliis, nam, (ut in eodem capite argumentati sumus,) tunc vana, & captiosa fuisset exprobratio, nam si hoc Iudaei intelligerent, merito, ac iustissime etiam ipsos fuisse conuertendos si cum illis externis auxiliis, eadem interna sibi data fuissent. Certum praeterea est, etiam Iudaeis non de fuisse interna auxilia sufficientia, quibus conuerti possent, si vellent, aliis iniuste reprehenderentur; ergo Christus non tantum de signis externis est loquutus, sed sub illis comprehendit interna subsidia, quae per illa externa opera tanquam per instrumenta Dei ordinariè conferuntur, ut in superioribus saepe dictum est cum Augustino de spirit. & liter. cap. 33. & 34. & saepe aliis. Quod autem de eisdem, & non maioribus, vel ex se efficacioribus fuerit loquutus, vis exprobrationis postulat, ut dixi, & in dicto capite latius prosequutus sum.

Et ita hoc Christi testimonio tanquam efficaci, vtuntur Soto, Vega, & alij ex citatis auctoribus, ut Vasquez, etiam refert. Qui agnoscit quidem certitudinem reuelationis Christi, ait tamen, quod si eadem signa facta Bethsaida fierent in Tyro, & Sidone, essent maiora dona, & beneficia gratiae respectu Tyriorum, & Sidoniorum, quia ipsis fierent magis congrua, quam Iudaeis, quibus non congruebant. Et videtur loqui de signis non tantum externis, sed ut per illa dabantur interna, sic enim cap. 7. concludit. Itaque si interius eadem esset omnino vocatio in duobus, posset esse vni maior gratia propter congruentiam quam alteri, cui congrua non esset. At certe per hanc responsionem sic declararam, vel à propria sententia recedit, vel nobiscum de nomine disputat. Omnes enim fatemur vocationem congruam semper esse maius gratiae be-

Confirmat
Sanctorum
cogitatio.

Bonauentura.

Vincentius.

24.
Habetur
singulare
exemplum
in Euange-
lio.

Vasquez.

neficium; dicimus tamen in se, & absolute spectatam non esse maius auxilium, id est, non necessariò includere aliquam specialem motionem praeuiam, nec modum positium eius, imò nec carentiam impedimenti speciali gratia prouisam, sed solum respectum congruentiae ad consensum praeuium sub conditione futurum. Quod si hoc ipsum vocet ipse maius auxilium, erit quaestio de vocabulo; si autem aliquid peculiare positium, vel priuatiuum praeuium requirit, ut reuera in sua asseritione declarat, non satisfacit responsio ad Christi verba. Nec in verbis subiunctis verè supponitur, quòd esset eadem omnino vocatio, &c. non potest enim dici eadem omnino vocatio, quae praeter respectum congruentiam aliquid includit, quod non includit alia, siue illud positium, siue priuatiuum sit, quia in auxiliis moralibus, qualia sunt haec, de quibus tractamus, magna pars auxilij in se, & absolute spectati in ablatione impedimentorum consistere potest. Imò non solum in moralibus, sed etiam in physicis. illud censeretur physicum auxilium, quia licet sit causa per accidens, est conditio physica requisita, unde in moralibus etiam inter causas per se computatur; si ergo vocatio, quae supponitur, est omnino eadem, non debet includere aliquid positium, vel priuatiuum, quod alia non includit, & si propter solam congruentiam dicitur maius beneficium, vel donum, aut gratia, non tamen verè, & proprie maius auxilium.

25.
Probatur
ratione.

Ultimò argumentor ratione, & in primis contra priorem modum postulandi excessum in eo, qui conuertitur ex parte auxilij efficaciis, ratio est facilis, ex principiis à nobis positis. Primò, quia gratia efficax non requirit necessariò nouum auxilium praeueniens ultra sufficiens; ergo cum eodem auxilio praeuenienti stat vnum operari cum adiuuante gratia, quae praesto est, & alium non operari, quia potest resistere vocationi. Secundò, quia probatum est gratiam efficacem non consistere in praeuio auxilio praedeterminante ad exercitium actus, vel ad vnum actum; ergo stante toto praeuenienti in duobus aequali, stat vnum operari, & non aliud, cum vtrumque maneat in vtriusque indifferente potestate; ergo cum aequali auxilio praeuenienti, stat vnum consentire, & alium resistere. Tertiò haec rationes applicantur contra alteram sententiam, nam aequè procedunt de quocunque excessu, quia ostensum est, efficacem gratiam praeuenientem positam esse in vocatione congrua, sed haec congruitas vocationis non consistit in aliqua maiori eius intentione, vel claritate, aut distinctione, aut alia simili proprietate absoluta, neque in carentia alicuius impedimenti, sed solum in habitudine ad effectum infallibiliter futurum in diuina praescientia, quae dari potest sine vlla praeuia inaequalitate; ergo. Minor quoque ad priorem partem de prioritate positua probatur, quia vel illa proprietas est necessaria ad consensum, vel non est necessaria: si est necessaria, danda erit in praeuenienti auxilio eius, qui non conuertitur, aliàs non habebit auxilium sufficiens: si verò non est necessaria, sine illa poterat quis consentire, & de facto interdum consentiet, qui praenititur sufficenti auxilio, & possibili posito in esse, nihil sequitur repugnans; ergo cum aequali praeuenienti auxilio, & sine tali excessu positiuo, stat vnum consentire, & alium dissentire. Et eodem ferè argumento probatur altera pars de ablatione impedimenti. Primò quidem, quia

stante eadem motione positua, & ablatis aequaliter impedimentis, manet indifferens voluntas vtriusque hominis vocati; ergo licet vnus pro sua libertate dissentiat, alter potest cooperari gratia Dei; cur ergo non ita interdum contingat, cum in vtroque sit potestas moralis apta reduci in actum pro dominio libertatis. Imò haec ratio probat, non ablatis etiam impedimentis posse consentire, qui maiora habet impedimenta, aut ex parte naturae suae, vel consuetudinis minus est dispositus, & alius non consentire, quia ad hoc extenditur libertas voluntatis, si gratia supponitur, quae ad vincendum illud impedimentum, vel difficultatem simpliciter sufficit. Et e conuerso, licet quis habeat aequalia positua auxilia cum minoribus impedimentis, poterit minus operari, quia semper manet in voluntate potestas intrinseca ponendi impedimentum, vel suspendendi proprium actum, vel auerrendi considerationem intellectus, hoc enim impedimentum, est quasi concomitans, & ab usu propriae libertatis pendet, ideoque non tollitur per auxilium praeueniens, quia per illud non auferitur libertas, & ideo ex hoc capite semper esse potest diuersitas in consensu, licet in praeuenienti auxilio sit aequalitas.

Tandem declaratur vis huius rationis, quae applicando illam ad exercitium. Constitutio itaque hominem praeuentum à Deo motione sufficienti, ut conuerti possit, quia & satis attenditur, & omnes praeuiae circumstantiae necessariae occurrunt, & nullum impedimentum occurrit, quod voluntas superare non possit. De hoc ergo homine inquiri, an necessariò consentiat, necne? Primum non asserunt dicti auctores, & constat superioribus dici non posse; ergo stante illa motione, stat illum non consentire. At verò nihil repugnat, motionem similem esse efficacem in alio eiusdem praeuiae conditionis; ergo. Respondent illi, qui habet talem motionem, posse sine nouo dictamine intellectus per liberam voluntatem transferre considerationem ad aliud obiectum, quod magis inclinet ad oppositum actum, & quando hoc non facit, necessariò consentire, & nihilominus liberè, quia illa necessitas talis est, quam per liberam auersionem considerationis impedire possit; quando verò illam auertit, iam non habet aequalem considerationem cum aliquo, & ideo consentiunt, non esse mirum, quod tunc vnus consentiat, & non alius.

Verumtamen haec responsio, & in se difficilis est, & vim rationis non euacuat: est autem difficilis propter duo. Primum, quia ille modus resistendi, auerrendo cogitationem, non semper habet locum, respectu gratiae excitantis, quia illa excitatio est necessaria, ut lib. 3. visum est. Ponamus ergo duos excitari per cogitationem sanctam, & affectionem à Spiritu sancto independentem ab eorum libertate immixtas; certe tunc non est in eorum potestate illas non recipere; ergo neque eis est liberum per eas non attendere, & mouere; ergo tunc non habet locum resistentia per ablationem cogitationis. Dices, licet non possit homo illam cogitationem auferre, pro illo instanti pro quo illam recipit, posse tamen immediate post illud instanti illam auertere. Sed hoc neque semper est ita, quia Spiritus sanctus, qui illam cogitationem immittit, potest eadem necessitate illam pro aliquo tempore conseruare. Nec etiam satis est, quia inter dum deliberatio est facienda in eodem instanti,

in quo immititur inspiratio, ut in Angelis, & nihilominus in illomet instanti potest vnus sic vocatus consentire, & alius non praebere assensum.

Secundò est ille modus sit possibilis, vt esse potest, saltem applicando mentem ad aliam cogitationem liberam, licet altera immissa non tollatur, sed simul maneat, licet, inquam, hic modus possibilis sit, non apparet cur semper sit necessarius, vel cur non possit vterque sic vocatus mentem simul applicare aequaliter ad cogitationem alterius obiecti, quantum necesse est, vt eligant, & nihilominus, quòd pro vtriusque libertate, vnus rem vnā, alter aliam eligat. Quae difficultas generalis est in omnibus liberis electionibus, & ideo illam non declaro: sed vterius ostendo etiam admissò vt necessario illo modo resistendi per applicationem mentis ad cogitationem oppositam, non euacuari difficultatem: nam inde etiam sequitur cum aequali praeuenienti gratia vnus resistere, & non aliam. Probat, quia ex duobus aequè vocatis vnus immediatè coniungitur vocationi, & consentit cum adiuvante gratia, & alter voluntariè applicat intellectum ad contrariam considerationem; ergo cum aequali vocatione vnus consentit, & alius resistit. Probat consequentia, tum quia in eodem momento, in quo adhuc durat aequalis vocatio, vnus consentit, & non alius: tum etiam, quia illa applicatio mentis ad aliam cogitationem, est resistentia, inde enim incipit. Ex quo vterius sequitur, (quod maxime considerandum est,) illam inaequalitatem, quae inter illos duos postea reperitur, non esse ex sola praeueniente gratia, illa enim aequalis fuit, sed esse partim ex sola libertate in eo, qui se applicauit ad considerandum aliud, partim ex libertate cum coöperante gratia in eo qui se accommodauit vocationi.

Supereft vt fundamentis aliarum opinionum breuiter satisficiamus. Quia verò prior opinio in sola physica praedeterminatione fundatur, negatò illo principio, nulla fere alia responsio necessaria est. Nam etiam illae interrogationes Pauli 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit? & quid gloriaris quasi non acceperis.* vt in superioribus sunt à nobis sigillatim explicatae. Et ex tertia suppositione facta à nobis in hoc eodem capite possunt optimè declarari. Nam si discretio intelligatur secundum diuinam electionem, & praedestinationem, Deus solus est, qui discernit, solo enim consilio voluntatis suae, & non illi vocationem congruam praeparauit, quod est maius, & singulare beneficium, licet non semper absolutè sit maius auxilium. Si verò discretio in executione consideretur, sic ex parte eius, qui deficit, non tribuitur Deo, nec enim propria ratio deficienti, est defectus auxilij, sed abusus libertatis, vt saepe dictum, & probatum est. Ex parte autem eius, qui proficit, tribuitur quidem Deo, vt principali causae, non tamen soli, nec sine coöperatione liberi arbitrij, vt etiam probatum est. Et ob eandem causam etiam si homo proficiat, & ab alio discernatur, cooperando gratiae Dei, non habet unde in se gloriatur quasi non acceperit, cum ipsemet bonus vsus gratiae sit eiusdem gratiae principalis effectus. Quia verò homo sic operando aliquid meretur, & laudem, & gloriam habet apud Deum, ideo quando oportuerit, poterit non in se, sed in Domino gloriari, vt ex Paulo, & Sanctis Patribus etiam in superioribus declaratum est. Nihil ergo ex illo testimonio contra doctrinam datam deduci potest, neque tandem sequitur eum, qui

conuertitur, non tenet ad maiorem gratiarum actionem. Nam in primis tenetur gratias agere pro dono fidei, vel poenitentiae sibi concessò per auxilium concomitans gratiae, quod alteri datum non est. Deinde tenetur gratias agere pro maiori beneficio vocationis congruae, ac denique pro singulari affectu, quo Dominus illum elegit, ac media, quibus certissimè liberaretur, praeparauit; haec enim omnia esto aliquando non includant auxilia in sua entitate maiora, semper sunt maiora beneficia, ac proinde maiori gratitudine digna.

Fundamentum alterius sententiae duas habet partes. Prior magis pertinet ad moralem Philosophiam, nititur enim in illo principio, quòd voluntas nunquam mouetur aliter circa vnum obiectum, quàm circa aliud, neque mouetur ad vnum, & non ad aliud, nisi in ipso obiectis, vel in eorum applicationibus, vel in aliis praerequisitis conditionibus aliqua diuersitas ante usum libertatis praecedat. Hoc autem principium existimo falsum esse, & libertati contrarium, quod breuiter ostendo ex dictis in Proleg. 1. Nam voluntas vt sit libera, potest operari, & non operari, positis omnibus praerequisitis ad agendum; ergo omnibus illis stantibus, voluntas non necessitatur quoad exercitium, vel, (quod perinde est,) non ita determinatur, quin possit resistere in proprio sensu composito, id est, eisdem praerequisitis perseverantibus. Ergo stante eiusdem obiecti eadem applicatione, & consideratione, cum ceteris praeiis conditionibus potest eadem voluntas pro sua libertate, vel ferri in obiectum, vel non ferri: vel ferri maiori conatu, vel minori. Et eadem ratione in duobus similiter affectis, & dispositis circa idem obiectum illa varietas ex sola libertate contingere, & in actum reduci potest, quia illa potestas in vtroque est physica, & moralis, & in vtramque partem aequè contingens.

Dicetur fortasse, eum, qui consentit in tale obiectum, semper applicare mentem ad considerandum attentius illud obiectum, vel ad iudicandum magis practice illud esse amandum, vel quid simile. Sed interrogabo rursus, an illud iudicium, vel maior consideratio simpliciter necessaria sit ad talem consensum. Hoc posterius non potest consequenter dici ab eo, qui sic respondet. Nam si illa maior attentio, non est simpliciter necessaria, quo fundamento asseritur semper interuenire, & sine illa nunquam praestari consensum. Si verò illa maior attentio necessaria est, interrogabo vterius, an supposita propositione obiecti cum minori attentione illa maior attentio sit in hominis potestate, & ex eius pendeat voluntate, vel non ita pendeat, vel necessarium sit, vt ab extrinseca causa proueniat. Si hoc posterius dicatur, aperte sequitur, ante illam maiorem attentionem non habere voluntatem ad consentiendum, neque immediate, quia non potest consentire sine maiori attentione, neque mediatè, quia non potest intellectum ad maiorem attentionem applicare, vt in responsione supponitur. Atque ita fit, vt alter, qui non consentit ex defectu talis attentionis, non liberè, sed necessarid non consentiat, & ita ille inaequalitas non erit respectu voluntatum liberè operantium, de quibus nunc tractamus. Et praeterea instari potest, quia posita illa maiori attentione, vndeunque proueniat, voluntas adhuc libera est, & ita in duobus habentibus eundem attentionis gradum idem argumentum fieri potest.

30.
Fundamen-
ti alterius
sententiae
prima pars.

31.
Instauri.

Instantiae
occurritur.

32.
Rursus ob-
icitur, &
responde-
tur.

Si verò tandem dicatur illa maior attentio esse in potestate hominis, & ab eius libertate pendere, quidquid sit de veritate assertionis, quam nunc expendere non est necesse, inde apertè sequitur, illam maiorem attentionem non esse ex conditionibus prærequisitis, ad usum libertatis, & consequenter in præsentia materia sequitur, illam conditionem non pertinere ad præuenientem gratiam, quæ sine cooperatione libera nobis datur, sed ad subsequenter respectu prioris gratiæ, & comitantem respectu alicuius liberi vsus. Et id non obstat quominus verissimum sit, duos homines cum eisdem auxiliis gratiæ præuenientis diuersimodè vsos esse libertate sua, & inde tandem factum esse, ut vnus, v. g. voluerit credere, & non alius. Probatum assumptum, quia ex illis hominibus, qui æquales inspirationis receperunt, vnus applicuit mentem suam ad magis recogitandum, & alius non applicuit, licet liberè possit hæc autem est prima inæqualitas, ex qua aliæ oriri possunt, illa autem non supponit auxilia præuenientia æqualia, ac proinde nec ab illis provenit, sed ex parte eius, qui non amplius considerat, oritur ex sola libertate; ex parte verò alterius maior attentio sit expositio vsu liberæ voluntatis applicantis intellectum, qui vsus non pertinet ad solam gratiam præuenientem, sed ad cooperantem simul cum libero influxu voluntatis, ergo simpliciter verum est, illos cum æqualibus præuenientibus auxiliis inæqualiter operatos fuisse.

33.

Atque hic discursus quem de maiori attentione, vel consideratione fecimus, fieri potest de iudicio practico, si dicatur esse in vno, & in alio, & de quacunque alia conditione prærequisita, siue positiuè, siue practicè, tanquam remotio impedimenti. Nam similiter interrogabo, an remotio talis impedimenti necessaria sit ad consensum, necne. Si enim non est necessaria, frustra petitur, quia stante eodem impedimento, licet vnus non consentiat, stabit consensus alterius, cum ad illum præstandum non sit necessaria præuia impedimenti remotio. Si verò est necessaria, petendum vltius est, an sublit voluntati libertatis; nam si non subest, ille, à quo tale impedimentum non tollitur, non poterit consentire, & ita cessat comparatio, quam tractamus: inter eos enim fieri debet, qui liberè possunt consentire, vel dissentire; si verò remotio talis impedimenti est in potestate libera voluntatis, non est necesse, ut per maiorem gratiam præuenientem fiat, cum possit fieri per usum libertatis cum concomitante gratia, supposita aliqua priori sufficienter excitante. Et tunc inter duos æqualiter vocatos prima inæqualitas in vsu libertatis esse poterit, quod vnus liberè fugit impedimenta, & alius licet possit idem facere, negligit pro sua libertate; ergo ex hoc capite neque inuenitur necessaria inæqualitas in præuenientibus auxiliis, neque etiam illud principium in illo fundamento positum, est universaliter verum, quia stantibus omnibus prærequisitis ad usum libertatis in duobus hominibus optimè fieri potest, ut in æqualiter incipiant liberè operari, siue immediate prodeant in consensum, vel dissensum, siue in diuersam applicationem intellectus, siue in quascunque alias condiciones varias, ex quibus tandem in consensum, vel dissensum deueniatur.

34.
Euacuatur
probatio in

Neque obstant probationes in contrarium positiæ, ad principalem enim rationem respondetur, voluntatem quidem nunquam moueri, nisi sub aliqua ratione congrua in obiecto, in quo sensu ve-

rum est nunquam moueri, nisi per rationem, tamen, quia illa ratio non est cogens, neque efficaciter determinans voluntatem, & quia cum vna ratione volendi potest in eodem obiecto esse coniuncta alia ratio non volendi, ideo stante æquali consideratione præuia vtriusque rationis, fiat voluntatem consentire, aut dissentire suo arbitratu, siue non interueniat diuersum iudicium practicum, siue interueniat, dummodo illud sit subsequens liberam motionem eiusdem voluntatis, alioqui necessitas eius repugnaret libertati, iuxta discursum proximè factum. Ad primam confirmationem negatur sequela, nimirum, voluntatem pro sua libertate posse fieri diligendo in malum sub ratione mali, quia illud non continetur sub eorum latitudine obiecti voluntatis; libertas autem solum potest exerceri intra latitudinem obiecti.

Ad secundam confirmationem, ut nunc abutimur à longa disputatione morali, an possit esse defectus culpæ in voluntate sine præuio defectu in intellectu, respondeo breuiter, licet demum semper procedere, vel comitari aliquem errorem, vel aliquam inconsiderationem intellectus, quoties voluntas peccat, non tamen esse necessarium, ut illa inconsideratio, vel error præcedat omnem usum libertatis, sæpe enim sunt voluntaria, nam ipsa voluntas quasi exeat intellectu, vel præcipit illum ad iudicium practicè erroneum, vel liberius, quo vult, tendat. Et hoc satis est, ut omnis, qui peccat, ignorans, vel errans appelletur. Et ideo non obstat quominus is, qui consentit tentationi, æquale auxilium præueniens habeat cum illo, qui resistit, quia ille defectus considerationis, qui fortasse in vno inuenitur, & non in alio, non provenit necessariò ex defectu auxilij præuenientis, sed potest esse ex defectu auxilij concomitantis ob negligentiam, & voluntarium defectum eius, qui peccat. Adde etiam fieri posse, ut, qui peccat, & qui resistit, æqualem habeat considerationem, & quod præscientia Dei vni sit congrua, & alteri non congrua ad resistendum. Vnde solum fit, ut possit aliquando is, qui resistit, non habere maiorem considerationem, quam alius habeat, qui resistit; quia ille potest esse absolute sufficiens ad resistendum tentationi, & nihilominus, respectu vni esse congrua, & non alteri. Vnde etiam fiet, ut is, qui non resistit, in re ipsa careat aliqua consideratione, quia hic, & nunc indigeret ad resistendum; illa verò indigentia non nalcetur in illo ex intrinseca impotentia voluntatis, sed ex informitate suæ libertatis, quam Deus ita operaturam præiudicet, & ita illud peccatum non est sine defectu inconsiderationis, illa tamen, ut dixi, voluntaria est, quia posset, & deberet amplius considerare, quod cum æquali gratia excitante facere potuisset, & ideo aliam tunc cum æquali præueniente gratia vnus resistat, & alius non resistit.

Ad tertiam confirmationem de obiectis, seu mediis æqualibus respondemus negando assumptum, potest enim voluntas in eo casu eligere, quod voluerit; imò in hoc maxime consistit dominium voluntatis. Quod in libertate euidentius elucet, & illius participatio necessaria est voluntati creatæ, ut in sua determinatione libera sit, alioqui semper esset ab intellectu, vel obiecto determinanda, etiam quoad exercitium actus, quod repugnat libertati. Vt autem voluntas tunc eligat, sufficiens ratio est, quod in vno obiecto, vel medio inuenitur motuum sufficiens, ut eligatur, & in altero con-

CAPVT LIII.

*Dubium appendix de concordia gratia efficacia cum
gratua, & efficaci electione, ac praedestinatione
saluandorum omnium, & cum diuina pro-
videntia, ac praedestinatione actuum
liberorum humana volun-
tatis.*

nihil est, quod necessitet ad eius electionem, & ideo pro sola libertate voluntatis potest non appeti. Et quia in hoc est aequalitas in vtroque medio, vt vnum assumatur, & aliud reliquatur, potius quam è conuerso, non est necessarium speciale motuum, sed sola libertas sufficit. Neque oportebit, vt in vno minores difficultates, aut impedimenta appareant, quia eadem de illis est ratio. Nam, vt dixi, & semper voluntas potest ab intrinseco se impedire, vt sic dicam, etiamsi extrinseca impedimenta non adsint, & è conuerso licet adsint impedimenta aequalia, vel etiam maiora, dummodo inuitabilia non sint, potest sua libertate illa superare. Et ideo semper voluntas est libera ad eligendum, non solum inter aequalia, sed etiam inter inaequalia, quod voluerit praesciendo, vt in 1. 2. q. 13. latius differitur.

Ad alteram partem, in qua praedicta generalis doctrina ad auxilia praeuenientia gratiae applicabatur, iam ferè responsum est, quia vel necessarium non est, aliquam inaequalitatem praecedere ante consensum, vel dissensum, vel quamuis interdum praecedat, non oportet, vt sit in auxiliis excitantibus, seu praeuenientibus, nam potest esse in aliquo vsu libero prioris praeuenientis auxilij, qui vsus sit veluti via, seu praeuia quaedam dispositio ad supernaturalem consensum, propter quem excitantia auxilia principaliter data sunt, vt de maiori attentione, aut recogitatione, aut alia simili conditione explicuimus. Ad testimonia autem Scripturae, & Patrum, quae in contrarium inducebantur, responsio ex tertia suppositione sumenda est, illam enim tantum probant; nam semper qui conuertitur, à Deo recipit auxilia congrua, quibus à Deo efficaciter trahitur ad consensum, & haec est singularis misericordia Dei, quae non potest in merito hominis fundari. Vnde ratione illius dicitur Deus, cuius vult misereri, & trahere, quem vult, etiamsi auxilia in sua entitate maiora non conferat illi, quem sic vocat.

Solum ergo vltimum Augustini testimonium ex 2. de peccator. merit. & remiss. c. 17. & sequentibus indiget aliqua expositione: nam ibi rationem diuersitatis inter alios vocatos, quorum vnus consensit, & alius resistit, inde sumere videtur, quod in altero eorum, aliqua maior cognitio, vel delatatio praecedat. Responderi autem potest in primis Augustinum reddidisse rationem moralem, ex his, quae frequentius accidunt, non quae in rigore semper necessaria sint. Deinde dici potest Augustinum vocasse certam scientiam, aut victricem delectationem, vocationem congruam, quae semper, & infallibiliter consequitur effectum, & ideo si in illuminatione consistit, potest dici certa, quia semper hominem certiores reddit, etiamsi in se fortasse intensior, aut clarior non sit, etsi in delectatione consistit, dici potest victrix delectatio quia semper vincit, etiamsi fortasse maior in sua entitate non sit. Vnde dici etiam potest, licet in vno praecedat maior aliqua attentio, vel affectio, seu delatatio, illa inaequalitas non prouenit ex sola excitante gratia, sed adiuncto aliquo vsu libertatis, vt in superiori puncto explicuimus.

Cogimur in hoc capite explicare concordiam efficacis gratiae prout à nobis declarata est, cum diuina electione praedestinatorum, praesentatione actuum liberorum, & in vniuersum cum perfectione diuinæ prouidentiae, tum quia haec omnia ita sunt cum gratia connexa, vt non possit sine compositione illorum inter se doctrina haec consummari, tum maxime, quia defensores physicae praedeterminationis existimant, vera dogmata de illis omnibus sine tali genere praedeterminantis auxilij non posse consistere, & ideo non solum nobis obiciunt, sed etiam tribuunt multa, quae iudicio illorum vel absurda, vel etiam erronea sunt, quia ex nostra sententia sequi contendunt. Proponemus ergo sigillatim obiectiones eorum, & occasione illarum veram concordiam in illis omnibus, quae proposuimus, ostendimus.

Prima obiectio sumitur ex electione gratuita praedestinatorum ad gloriam. Supponunt enim ex sententia Augustini, & D. Thomae necessarium esse confiteri Deum in aeternitate sua ante praescientiam omnium meritum absolutum, & immutabili decreto statuisse, tot, & talibus hominibus aeternam beatitudinem conferre in tali gradu, & perfectione, & non pluribus, neque paucioribus; quod decretum, vel electio gratuita praedestinatorum vocatur. Ablata igitur necessitate praedeterminationis physicae, & posita efficacia gratiae dependente aliquo modo à cooperatione liberi arbitrij, sequi necessitati existimant, discretionem inter electos, & non electos, non ex Deo, sed ex hominibus esse sumendum, ac proinde tolli electionem gratuitam ex parte Dei. Vnde quidam illorum Patrum ex nostra sententia intulit non Deum eligere homines, sed potius homines eligere Deum, contra illud, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, Ioan. 15. Probatur sequela, primò, quia ita Deus ordinatur praedestinos ad gloriam, vt per actus liberos illam adipiscantur, sed iuxta nostram sententiam, decretum Dei efficax & antecedens repugnat libertati; ergo iuxta nostram sententiam non potuit in Deo talis electio; seu decretum praecedere. Vel secundò, vt Deus habeat tale decretum, necesse est, vt sola sua virtute possit efficaciter determinari homines, vt saluari velint, & media salutis implere per actus liberos; sed iuxta nostram sententiam Deus non habet talem potestatem, quia sine auxilio praedeterminante non potest esse talis efficacia, quae sufficiat ad certitudinem dictae electionis, & nos negamus tale genus auxilij; ergo.

Quòd si respondeamus, posita praescientia conditionata posse consistere sufficientem mediorum efficaciam, & certitudinem sine praedeterminatione, contra hoc insurgunt, primò impugnando scientiam conditionatam, & certitudinem eius, nisi fundatur in antecedente decreto. Secundò inferendo, eo ipso sequi electionem ad gloriam non

Summa capituli.

Obiectio 1. de electione gratuita praedestinatorum ad gloriam.

Ioan. 15.

3.